

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Manvale Qvadripartitvm h.e. Vtiles Ad Intelligendam
Scriptvram Regvlæ è Michaelis Neandri Opvscvlo Exegetico
Depromptæ**

Neander, Michael

Halæ Magdebvrgicæ, MDCCXXXIII.

VD18 13428160

Pars III.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

„bus comminatur Deus, se peccatum se vere puniturum, a peccando absterrentur. Irem, „cum verbo, fide & oratione instructi, non obsequuntur concupiscentiis carnis.

„Hoc modo resistentes carni, clavis cruci „eam affigunt, cum affectibus & desideriis, ut „quoniam caro sit viva, & adhuc moveat se, „tamen non possit perficere quod velit, cum ma- „nibus & pedibus ligatis cruci affixa sit. Pii ergo „dum hic vivunt, crucifigunt carnem, hoc est, „sentiunt quidem concupiscentias ipsius, sed „non obsequuntur eis. Induti enim armatura „Dei, fide, spe & gladio Spiritus, repugnant car- „ni, ac ipsis armis spiritualibus ceu clavis quibus- „dam eam affigunt cruci, ut etiam invita spiritui „subjecta esse cogatur. Postea morientes pror- „sus eam exuunt, & resuscitati habebunt carnem „sine affectibus & concupiscentiis.,,

PARS III.

*Luther Brentium jungamus, qui
Commentario in Esaiam Iol. 809.*

*& seqv. dum Prophetæ ca-
put LIII. enarrat, se-
quentia scribit:*

OBLATVS EST, QVIA IPSE
VOLVIT &c.

C 2

Iuxta

Iuxta hebraeam veritatem sic legendum est. Multatus, seu violentiam passus est, & afflicsus. Ubi enim vulgata editio habet (voluit) ibi est in hebreo textu נְאָנֶה Naaneh, quod significat afflictum seu inique tractatum. Pro quo existimo interpretem legisse נְעַמֵּה Naameh, quod significat placuit. Cum igitur ante dictum sit, quod iniquitas omnium nostrum impetum fecerit in filium Dei, & conjecerit eum in extre-
mam deformitatem, describitur nunc, quanta obedientia, quanta patientia filius Dei hunc impetum suscepere. Etsi enim violenter, crude-
liter, & inquis modis tractatus est, tamen non aperuit (inquit) os suum. Sicut ovis, quæ duci-
tur ad macerationem, & sicut agnus, qui cum ton-
detur, obmutescit nec aperit os suum. Hunc locum Petrus & interpretatur, & cohortat nos ex eo, ut exemplo Christi non reddamus mala pro malis. Quæ est, inquiens, laus, si cum peccantes ala-
pis cedimini, suffertis? At si cum benefacitis, &
tamen malis afficimini, suffertis, hæc deinceps est
gratia apud Deum. Siquidem in hoc vocati estis,
quoniam & Christus afflicsus est pro nobis, re-
linquens nobis exemplum, ut in sequeremini ve-
stigia ejus. Qui peccatum non fecerat, nec inven-
tus est dolus in ore ejus, qui cum maledictis inces-
seretur, non regessit maledicta, cum malis affice-
retur, non minabatur, sed tradidit vindictam ei,
qui judicat juste &c. Etenim homines, cum male
tractantur, mala vicissim regerunt, cum percutiun-
tur, vicissim percutiunt, & putant hanc vicissitu-
dinem

dinem esse rectam justitiam. Filius autem Dei, tantum abest, ut mala malis rependerit, ut potius bona pro malis reddiderit. Vide mihi oviculam. Hæc sive tondeatur, sive ad lanienam trahatur, non remordet, imo ne vociferatur quidem, sed sustinet omnia patientissime. Sic & filius Dei raptus ad lanienam crucis, non invectus est virulenter in raptores, sed factus est obediens usque ad mortem. Ac alii quidem homines, violentiam passi, et si coguntur aliquoties os cohibere, ne verbis remurmurent, aut sua sponte abstinent se a convitiis, ne iis potentiores, qui vim infert, magis irritent, quam mitgent, tamen cor solet esse natura sua impatientissimum, præsertim cum judicat sibi injuria fieri, & cum non audet verbis usurpare licentiam in malefactorem, flagellat eum gravissimis cogitationibus animi. Filius autem Dei, in afflictione sua, non solum non remurmuravit verbis, sed ne cogitatione quidem precatus est mala malefactoribus suis, imo potius pro crucifixoribus suis oravit, quemadmodum postea sequitur. Quia obedientia & patientia præstítit nobis & beneficium & exemplum. Beneficium est, quod hac obedientia fecit nobis Deum Patrem propitium: & sicut antea per inobedientiam unius hominis, quemadmodum Paulus ait, peccatores constituti fuimus multi, ita per obedientiam unius justi constituuntur multi. Exemplum est, sicut paulo ante ex Petro recitavimus, quod non debeamus mala malis rependere, sed malum bono vincere. Durum hoc videtur carni, sed Spiritus Christi judicat esse æ-

quissimum, quippe quod nihil æquius sit, quam
verbo Dei, quo jubemur proximum diligere, ac
etiam inimico benefacere, obedientiam præstare.

DE ANGVSTIA ET DE IVDICIO SVBLA-
TVS EST GENERATIONEM EIVS &.

Quid? Dicet quispiam. Filius Dei percussus
est, & pessime omnium afflatus est, propter no-
stras iniquitates. Nunquid ergo his vulneribus &
afflictionibus periit? Nunquid sic nos juvit, ut
interea ipse perpetuo occubuerit? Sic patriam
suam juvare visi sunt, Curtius & Decius Romani,
ut tamen ipsi interierint. Sed longe alia est filii
Dei conditio. Hic enim et si captus, vincitus, angu-
stiis obrutus, morti adjudicatus, & tandem mor-
tuus fuit, tamen de vinculis, de angustiis, & de
morte ita sublatus est, ut generationem seu du-
rationem eius nullus verbis explicare possit. Re-
surrexit enim a mortuis, & durat nunc æternis, ut
ita dicam, generationibus, ac perpetua ærate. Re-
gni ejus nullus est finis. Christus, inquit Paulus,
excitatus a mortuis, non amplius moritur, mors
illi non amplius dominatur. Quis ergo est, qui
postquam Christus a mortuis resurrexit, genera-
tionem, seu durationem ejus enarrare queat? Hæc
est scriptura illa, quam Eunuchus Reginæ Canda-
ces in curru legit, & quam Philippus jubente Spi-
ritu sancto, interpretatus est de JESU Christo Ser-
vatore nostro, quemadmodum scriptum est Act.
VIII, Quare etiam si angelus de cœlo reclamaret,
& de alio interpretaretur, tamen nihil nobis cer-
tius est, quam quod hæc de solo Domino nostro

JE

JEsu Christo intelligenda sint. Precandum autem nobis est, ut quem fructum hæc scriptura attulit in Eunicho Æthiopico, eundem etiam in nobis afferat, ut vere credamus filium Dei esse JEsum Christum (*), & per viam nostram gaudentes incedamus.

Hec Brentius; quibus jungendus est sequens Ecclesiæ Hymnus, qui ad melodiam: *Christus der uns selig macht;* ingeminari poterit.

Patris sapientia,
Veritas diuina,
Deus homo captus est

C 4

Hora

(*) Qui in eximationis statu ab incredulis ludibrio habebatur, ut speciatim passionis tempore fiebat; cum igitur post gloriosam resurrectionem cœlum ingressus est & ad patris dexteram sedet, hostium equidem furor nondum cessat. Suo autem fulgore Christi verba radiant, Ioh. V,22.23. Nec enim pater judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio: Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem, ut qui miserit eum.

Quid quæso ad hæc infelices discipuli illius infasti Fausti Socini sunt dicturi? Mortales isti, certi miserrimi in extremo iudicii die videbunt, quam magna olim Majestate Redemptor noster, cuius gloriam Osterodus aliique, qui de nostra ætate ac memoria extenuare frustra proli dolor! fatagunt, futurus est vivorum & mortuorum Index.

Felix, quem faciunt aliena perculo cautum.

Hora matutina.

A suis discipulis

Cito derelictus,

Iudaeis & venditus,

Traditus, afflictus.

2. Hora prima ductus est

Iesus ad Pilatum,

Falsis testimoniiis

Multum accusatum

In collum percutiunt,

Manibus ligatum,

Vultum DEI conspunt,

Lumen cœli gratum.

3. Crucifige clamitant

Hora tertiarum,

Illususque induitur

Veste purpurarum:

Caput ejus pungitur

Corona spinarum,

Crucem portat humeris

Ad locum pœnarum.

4. Hora sexta Iesus est

Cruci conclavatus

Et est cum latronibus

Pendens deputatus,

Præ tormentis sitiens

Felle saturatus.

Agnus crimen diluit,

Sed ludificatus.

5. Hora nona Dominus

Iesus exspiravit,

Eli